

CURRENTA.

Venerabili Clero Diœcesano, Salutem in Domino!

In nexu Nostrarum literarum circularium ddo. 20. Martii a. c. Nro. 2342. universo Venerabili Clero Diœcesano per præsentes significamus, quod Nos vigore facultatis a S. Congregatione Concilii sub 19. Aprilis 1858. Nobis tributæ, Examinatores Diœcesanos in locum Synodalem ad proximum abhinc triennium, vel vero, si interea Synodus Diœcesana celebraretur, usque ad Synodi hujus celebrationem. eligere et deputare constituimus, uti quidem de consensu Reverendissimi Capituli viros de pietate, scientia et prudentia Nobis bene commendatos, videlicet: Reverendissimum D. Josephum Hoppe Præpositum Insulatum Capituli, Reverendissimum Franciscum Pawłowski Scholasticum Capituli, Reverendissimum D. Josephum Ziemiański Canonicum gremialem; Reverendissimum D. Martinum Skwierczyński Canonicum gremialem; Religiosissimum P. Constantium Pacholik Ministrum provincialem Ordinis Reformatorem, Admodum Reverendum Joannem Gruska Professorem Theologiæ Pastoralis; Admodum Reverendum Alexandrum Zimmer Professorem Theologiæ moralis; Clarissimum Julium Paszyński Doctorem S. Theologiæ, Professorem Historiæ ecclesiasticæ et Juris canonici; Admodum Reverendum Thomam Grodecki Professorem Studii Biblii N. F. Clarissimum Joannem Mazurkiewicz, Doctorem S. Theologiæ, Professorem Theologiæ Dogmaticæ, Clarissimum Eduardum Schediwy Professorem Suppl. Studii Biblii V. F. et Admodum Reverendum Ignatium Łobos Patrem Spirituale Seminarii Diœcesani, in nomine Dei sub uno eligimus et deputamus, obstringendo eos juxta Ordinationem S. Concilii Tridentini Sess. XXIV. Cap. 18. de Reform. corporali juramento de fidei muneri hujus executione in hunc modum: „Ego N. N. juro Deo Omnipotenti, Patri, Filio et Spiritui „Sancto, me munus Examinatoris prosynodalis promovendorum ad beneficia curata Candidatorum ab Illustris- „simo ac Reverendissimo Domino Loci Ordinario mihi commissum, fideliter et conscientiose, omni humana „affectione postposita, executurum, neque cuiquam votum meum aut aliorum Examinatorum super idoneitate „Candidatorum ad beneficium parochiale datum, revelaturum esse. Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia.“

Instructio pro Examinatoribus prosynodalibus.

Literis circularibus ad universum Clerum Diœcesanum sub hodierno datis, observanda in posterum praxis circa concursum pro ecclesiarum parochialium collatione habendum juxta concessionem a Sacra Sede Apostolica (per Rescriptum s. congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis præpositæ ex Audientia Sanctissimi die 22. Novembris 1859) benigniter Nobis tributam regulatur.

In nexu jam harum literarum Circularium, ut circa prædictum concursum omnia ordinate et exacte peragantur, Tit DD. Examinatoribus prosynodalibus sequentia adhuc significanda censemus:

Quanti sit momenti Examinatorum synodaliū, eisque subrogatorum prosynodaliū munus, vel ex eo patet, quod S. Synodus Tridentina Sess. XXIV. cap. 18. de Reform. illis iudicium de habilitate vel inhabilitate Candidatorum pro munere parochorum committat, perpendendo „expedire maxime animarum salutem, a dignis atque idoneis parochis gubernari. Hinc etiam eadem ad obtinendam securitatem, negotium adeo grave omni cum religioſitate ac exactitudine tractatum iri, Examinatoribus præcipit: jurent omnes ad Sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros; caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant: alioquin simoniæ vitium, tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam ante obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur; a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possunt.

Necesse est proinde, ut viri tanta auctoritate condecorati, munus suum conscientiose et accurate adimpleant, servantes omni cum exactitudine ea, quæ saluberrimis ecclesiasticis legibus quoad examina concursualia statuta sunt. Quapropter hic spectantia præscripta, et imprimis Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 18. de Reform. tum literas S. Congregationis Concilii de die 10. Januarii 1721 Clementis XI. assensu firmatas, et in constitutionem Benedicti XIV. de die 14. Decembris 1742 incipientem „Cum illud“ relatas, nec non ipsam hanc Benedicti XIV. Constitutionem, sicut et ea, quæ idem Papa in opere suo „De Synodo Diœcesana,

ad Nr.
2342

ex 859.

a scio Exa-
matorum
prosynodalium
et konkur-
entium parochialium
et postscriptum
sic magis?

lib. IV. cap. VII. & VIII. disserit, denique Rescriptum a S. Congregatione negotiis ecclesiasticis extra ordinariis præposita, ex Audientia SSmi die 22. Novembris 1859 editum; quo mediante quæpiam modificationes pro Diœcesi Nostra concessæ extiterunt, diligenter perlegant, atque continuo præ oculis habeant.

Interventio autem Examinatorum circa ecclesiarum parochialium collationem triplici sub respectu necessaria est, et quidem:

I. in examine quoad scientiam,

II. in examine quoad reliquas præter scientiam qualitates,

III. in elargiendis dispensationibus ab examine quoad scientiam.

De quibus singulis in specie agemus.

I. De examine quoad scientiam.

§. 1. Ante diem cujuslibet examinis designabuntur ab Ordinario Examinatores e numero presydialium circa hoc examen functuri, minimum tres, ad summum sex; designabitur pariter Cancellarius concursus, et si visum fuerit, etiam ejusdem substitutus. Singulis designatis Examinatoribus assignabuntur simul materiæ, et quibus quæstiones proponendas habeant.

§. 2. Pro examine scripto præparanda erit et quavis materia una quæstio, quæ omnibus Candidatis eadem proponetur. Quæstio hæc scripto consignanda, obsigillanda, et in obvolucro inscriptione munienda exhibente materiæ, quam quæstio respicit. In examine orali vero singulis Candidatis aliæ quæstiones solvendæ proponentur.

§. 3. Quæstiones pro examine tam Scripto quam orali non sint subtiles et longioribus disputationibus obnoxie, sed in basi positiva fundatæ, et ad praxim in cura animarum proxime relatæ, porro ita compositæ, ut quævis quæstio scripto solvenda intra spatium unius horæ etiam a Candidato mediocris ingenii resolvi valeat. Quum tamen vix possibile sit, intra unius horæ spatium integram concinunculam componi, hinc sufficet, ut candidatus tantum præmium concionis per extensum, porro ipsius concionis argumenta una cum divisione materiæ conscribat.

§. 4. Quæstiones latino sermone proponantur, excepta Theologia pastorali cum catechetica, et qua idiomate vernaculo concipiendæ erunt. Similiter textus s. scripturæ vel aliud thema pro facienda concinacula sermone vulgari tradatur.

§. 5. Die ad examen scriptum præfinito, hora media nona antemeridiana convenit integrum deputatum examinatum, id est designati tres pluresve Examinatores nec non Cancellarius Concursus sub præsidio Ordinarii aut ejus Vicarii, advocanturque omnes examinandi Candidati. Ordinarius aut ejus Vicarius examinis præsidium gerens paucis verbis tentamen inchoari edicit, admonet Candidatos, ne vetitis administrandis uti præsumant, clausuram anuntiat, declaratque, Candidatum contra agentem pro resiliente ab examine habendum esse.

§. 6. Post hæc omnes Examinatores præsentés, quæstiones suas ad examen scriptum juxta §. 2. præparatas tradunt Cancellario Concursus, qui sonante hora nona quæstionem e Dogmatica positiva profert, eamque resigillat ac alta voce Candidatis dictat. Quibus peractis examinatum discedit, remanente tantum cum Candidatis Cancellario Concursus, qui ostium claudit, et clavim apud se retinet.

§. 7. Cancellarius Concursus conficiet protocollum, in quo nomina tam examinatorum quam eorum Præsidis, et omnium Candidatorum adnotabit, atque ordinem integro tractu examinis servatum singillatim consignabit. Invigilabit insuper conscientiose, ne Candidati inter se communicationes foveant, ne scriptis quæpiam aut libros (præter s. Scripturam, Concilium Tridentinum et corpus Juris canonici) evolvant; neminem porro eorum durante examine e conclavi egredi nec alium quempiam eo ingredi permittet. Si quæ adversus hanc ordinationem moliri observaverit, in protocollo accurate adnotabit.

§. 8. Ad sonitum horæ decimæ recipit Cancellarius elaborata Candidatorum, sive sint ex integro absoluta sive non, eaque ab elaborante subscribi faciet, nec ipse subscribet. Statimque resigillabit secundam quæstionem, quæ erit e Theologia morali, illamque Candidatis dictabit. Eodem modo procedet quoad reliquas quæstiones, quæ sequenti ordine erunt proponendæ: hora undecima quæstio e positivo jure canonico; hora tertia a meridie paraphrasis s. scripturæ N. F. hora quarta quæstio e Theologia pastorali coadjuncta cum Catechetica, hora quinta denique designabitur textus evangelicus vel aliud dabitur thema pro componenda concinacula.

§. 9. Hora duodecima, postquam Cancellarius omnia elaborata e jure canonico receperit, Candidati ad sumendum prandium dimittantur, ante horam tertiam denuo conventuri. Hora vero sexta vespertina, recepto per Cancellarium ab omnibus Candidatis elaborato concionis, clauditur examen scriptum.

§. 10. Scripta Candidatorum elaborata monente s. Congregatione Concilii de die 10. Januarii 1721 „non solum ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario Concursus, verum etiam ab examineribus et ab Ordinario vel ejus Vicario, qui Concursui interfuerint subscribantur.“ Subscriptio hæc per Examinatores et Præsides examinis fiet, dum ad examen orale vel vero ad examinis scrutinium convenierint.

§. 11. Altera die hora nona mane convenit illud ipsum Examinatum una cum Præsidente et Cancellario Concursus nec non examinandis Candidatis pro tentamine orali. Clauso ostio Examinatores Sedes suas capiunt, sedentibus ex adverso Candidatis juxta ordinem alphabeticum nominum. Quæstiones proponuntur juxta ordinem materiæ in scripto examine observatum ita, ut per tentamen omnibus Candidatis ex una materia ad alteram materiæ transgrediatur. Quæstiones Candidatis ad resolvendum propositæ ob præsentiam omnium examinandorum non possunt pro omnibus esse eadem, sed singulis Candidatis aliæ quæstiones proponi debent; justitiæ tamen et æquitatis ratio postulat, ut omnes quæstiones, in quantum id fieri

potest, quoad difficultatem in resolvendo pares sint. Postremum singuli Candidati perorabunt proemium concinnulae pridie compositae, aut alterius eujuspiam, quam ipsi maluerint.

§. 12. Cancellarius Concursus in protocollo diligenter adnotabit quaestiones propositas et nomina Candidatorum, quibus obtigerunt.

§. 13. Materie in examine orali ante meridiem non excusae post meridiem suscipientur; quem in finem hora tertia pomeridiana rursus totum Examinatorium cum Praeside et Cancellario Concursus, omnes item Candidati convenient. Quodsi ob majorem Candidatorum numerum examen hoc orale prima die terminari non poterit, die altera eodem modo continuabitur, donec omnes Candidati ex omnibus materiis perentati fuerint. Perentatis Singulis Candidatis ex omnibus materiis finis imponitur examini orali, et Candidati domum remittuntur.

§. 14. Terminato examine orali integrum Examinatorium una cum Praeside suo et Cancellario Concursus vel eadem adhuc vel una e proximis die denuo conveniet pro scrutinio tentaminis. Cancellarius omnia elaborata, et quidem successive singulorum Candidatorum ex omnibus materiis, perleget, quaestiones quoque a quovis Candidato oretenus solutas e protocollo in memoriam revocabit. Post haec brevi aliqua deliberatione inter examinatores peracta, singuli examinatores vota sua proferunt, non tantum quoad scientiam Candidati e materiis, e quibus ipsi examinarunt, nec quoad singula responsa in specie, sed simpliciter et in globo, num Candidatus quoad scientiam approbandus vel reprobandus sit. Ordinarius vel ejus Vicarius nullum profert votum, nisi quum paria vel singularia examinatorum vota dirimenda essent. Quum autem inter sic approbatos Candidatos aliqui eminentioris scientiae documenta dedisse, aliqui vero multo tenuiorem atamen pro approbatione sufficientem scientiam monstrasse poterant, quumque juxta tenorem Rescripti Pontificii in concursu de collatione eujuslibet parvae scientiae instituendo examinis quoad scientiam respectus haberi debeat, congruum esse judicamus, ut gradus scientiae a Candidatis in examine quoad scientiam monstratae in ipso approbationis quoad scientiam judicio exhibeatur. Quapropter coeusa quidem approbandi formula simpliciter erit „approbatur,“ eminentior tamen alicujus Candidati scientia designabitur per additamentum „approbatur cum nota eminentioris profectus“ tenuior vero scientiam exhibebit additamentum „approbatur cum nota sufficientis profectus“ — Cancellarius conclusa quoad singulos Candidatos notat in protocollo, et post haec claudit protocollum tam a Cancellario quam a Praeside examinis et ab examinatribus subscribendum, illudque Consistorio exhibet.

II. De examine, quoad reliquas praeter Scientiam dotes.

§. 15. „Cum non continuo, si quis est doctor, is etiam aptior seu magis idoneus ad animarum regimen habeatur, vel etiam habendus sit“ ut ait decretum S. Congregationis Concilii de die 10. Januarii 1721 hinc examinatores officio suo deessent, si tantum doctrinae Candidatorum pro beneficiis curatis iudices agerent, sed debent etiam juxta praescriptum s. Concilii Trid. Sess. XXIV. cap. 18. de Reform. diligenter inquirere in eorum „aetatem, mores, doctrinam, prudentiam et alias res ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunas.“ Et Benedictus XIV. in Constitutione „Cum illud“ enixe commendat Examinatribus, ut probata Candidatorum scientia „parem, ni forte majorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirent, gravitatem, prudentiam, praesita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisce omnibus conjunctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, et idoneos Episcopo renuntient.“ Instituitur autem examen hoc sequenti modo:

§. 16. Elapso termino pro Competitoribus alicujus vacantis beneficii a Consistorio statuto, antequam res ad deliberationem Consistorii deveniat, deputabuntur ab Ordinariatu ad faciendum de collatione concursus tres pluresve Examinatores e numero prosynodalium nec non Cancellarius Concursus.

§. 17. Cancellarius Consistorii trutinatis diligenter petitis Competitorum, una cum productis allegatis, Decanorum concomitationibus, aliisque ad rem facientibus actis conficiet notulam compendiariam quoad singulorum merita, qualitates et requisita, uti praecipit Constitutio Benedicti XIV. „Cum illud“ — et singulis Examinatribus designatis, sicut et Episcopo aut ejus in examine Vicario, exemplum hujus notulae tradet.

§. 18. Praefinito ad examen die, convenit examinatorum deputatum sub praesidio Episcopi aut ejus Vicarii, et subjectis penitiori trutinio praefatis qualitatibus Candidatorum, inspectisque nefors documentis, equibus illa notula compendiaria redacta est, Sententiam suam de habilitate vel inhabilitate singulorum Candidatorum ad vacans beneficium, de cujus collatione agitur, profert. Episcopus aut ejus Vicarius nullum dat votum, nisi fors Examinatorum vota fuerint paria aut singularia: tunc enim integrum erit Episcopo aut illius Vicario, cui voluerit, accedere — juxta Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 18. — Non licet tamen Examinatribus — nisi fors eorum consilium desuper ab Episcopo expresse exquiratur — declarare, quinam Candidati ex approbatis magis idonei sibi videantur, iudicium enim hoc ad solum Episcopum pertinet, juxta Conc. Trid. l. c. — Porro tenentur Examinatores suffragia sua ferre, priusquam a loco examinis discedant, et ab Episcopo ejusve Vicario sejungantur, ut monet Benedictus XIV. de Syn. Dioc. Lib. IV. cap. VIII. — Nec quidquam refert, ut idem Benedictus XIV. l. c. observat, an suffragia secreto vel palam ferantur. Ut tamen Examinatores vota sua eo liberius juxta conscientiosam persuasionem suam quolibet in casu promere valeant, volumus, ut scrutinium secreto per albos vel nigros lapillos in urnam coniectos fiat, ita, ut albi lapilli votum approbationis, nigri vero votum reprobationis designent.

§. 19. Cancellarius Concursus huic scrutinio praesens protocollum conficiet, in quo Examinatorum conclusa adnotabit. Protocollum hoc praeter Cancellarium, Praeses quoque examinis et Examinatores sub-

scribent. Exempla notulae compendiariae Cancellarius ab Examinatorio recipiet et protocollo apponet, illud Consistorio exhibebit.

III. De dispensationibus ab examine quo ad scientiam.

§. 20. Quum per litteras S. Congregationis extraordinariis negotiis ecclesiasticis praepositae Audientia SSmi die 22. Novembris 1859 ad Nos datas, tributa Nobis sit facultas dispensandi aliquando ab examine quoad scientiam Sacerdotes, qui aliunde de eorum scientia probationem satis superque exhibent, et quum dispensatio haec non nisi „audita Examinatorum sententia“ elargienda veniat: hinc circa quantumlibet dispensationis ejusmodi elargitionem praevia opinionem Examinatorum saltem trium exquiremus super eo num et in quantum Candidatus dispensationis gratiam expetens dispensandus sit, videlicet: num pro unius vice, id est, donec aliquod beneficium obtinuerit, vel vero ad aliquod determinatum tempus, puta ad unum aut sex annos, vel denique pro Semper.

Quum autem Episcopus in elargienda tali dispensatione Examinatorum sententiam quidem audire obligetur, non tamen eorum sententiae adstrictus sit, hinc etiam contra illorum opinionem dispensationem tribuere vel denegare poterit. Nil etiam obstat, quominus Episcopus petita Sacerdotum, quos gratiae hujus dignos judicaverit, statim absque effectu retundat, quin omnino Examinatorum sententiam exquirat, quae non nisi in elargienda dispensatione audire obligatur.

Dum superius exposita servanda proponimus, invitamus simul Tit. DD. Examinatores, ut observationes suas tractu temporis experientia duce colligendas Ordinariatui communicare velint; et si quaepram praxi minus utilia vel minus congrua apparerent, opportunas modificationes intra limites lege praefinitos introducere haud haesitabimus.

AB ORDINARIATU RIT. LAT.

Premislae, die 20. Martii 1860.

Franciscus Xaverius,

Eppus.

ADALBERTUS HARMATA.

Cancellarius.